

7.

## (Odat.)

Ärke-Biskop. ANSGARII uppmaning till Prelaterna i K. LUDVIGS Rike att bedja Gud för den i Norden nybörjade församlingens tillväxt.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Anscharius gratia Dei Archiepiscopus omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ Præsulibus in regno duntaxat Ludovici Regis commanentibus. Nosse vos cupio, quia in hoc libello continetur, qualiter Ebbo Remensis Archiepiscopus, divino afflatus Spiritu, temporibus Domini Ludovici Imperatoris, cum consensu ipsius ac pene totius regni ejus Synodi congregatae, Romam adiit, ibique a Venerabili Papa Paschali publicam evangelizandi licentiam in partibus Aquilonis accepit. Et qualiter postea Ludovicus Imperator hoc opus sublimavit, seque in omnibus largum præbuit & benevolum, & cætera quæ huic Legationi contigerunt. Quapropter suppliciter deprecor, ut apud Deum intercedatis, quatenus hæc Legatio crescere & fructificare mereatur in Domino. Jam enim Christo propitio, & apud Danos & apud Sueones Christi fundata est Ecclesia, & Sacerdotes absque prohibitione proprio funguntur officio. Precor etiam ut has literas in bibliotheca vestra ad perpetuam memoriam reponi faciatis, & prout locus dictaverit tam vos quam successores vestri, ubi utilitatem vestram perspexeritis, notum omnibus istud faciatis. Omnipotens Deus faciat vos omnes hujus operis pia benevolentia participes, & in cœlesti gloria Christi cohaeredes.

8.

## 865. i Dec.

Påfv. NICOLAUS I:s Fullmakt, jemte Pallium, för RIMBERT att vara Ärke-Biskop i Hamburg efter ANSGARIUS, tillika med åtskilliga föreskrifter.

NICOLAUS Episcopus, servus servorum Dei, reverendissimo & sanctissimo confratri nostro Rimberto Archiepiscopo Hammaburgensi. Si pastores ovium solem geluque pro gregis custodia die ac nocte ferre contenti sunt, ut ne qua ex eis aut errando pereat, aut ferinis Ianiata morsibus rapiatur, oculis semper vigilantibus circumspectant; quanto sudore, quanta cura debemus esse pervigiles, nos, qui pastores animarum dicimur, attendamus & susceptum officium exhibere erga custodiam dominicarum ovium non cessemus, ne in judicio divini examinis pro nostra desidia ante summum Pastorem negligentiæ reatus excruciet. Unde modo honoris reverentia sublimiores inter cæteros judicamur. Pallium autem tuæ fraternitati ad missarum solemnia celebranda concedimus, quod tibi non aliter, Ecclesiæ tuæ privilegiis in